DE MENSTRUATIONE DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM...

Giuseppe Silvestri

DE

MENSTRUATIONE

Dissertatio Inauguralis

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE PERILLUSTRIS DIRECTORIS AC PRAESIDIS FACULTATIS MEDICAE SPECTABILIS DOMINI DECANI NEC NON CLARISSIMORUM D.D. PROFESSORUM UT DOCTORIS MEDICINAE LAUREAM SUMMOSQUE IN MEDICINA HONORES AC PRIVILEGIA RITE CONSEQUERETUR IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA UNIVERSITATE TICINENSI

AUSPICE

DOCT. JOSEPHO MORETTI

Botanices Prof. Ord.

UNA CUM THESIBUS DEFENDENDIS

Mense Augusti Anno 1841

PUBLICAE DISQUISITIONI OFFEREBAT

DE SILVESTRI JOSEPH

EX MONTRIGIASCO PROV. PALANZAE

TICINI REGII

Ex Typis Fusi et Socii.

GENITORI OPTIMO

DEVINCTISSIMUS DEDICAT AUCTOR.

DE MENSTRUATIONE.

Lauream medicam adsecuturo, ad vota academica persolvenda, de re medica aliquid conscribere munus incumbit. In tanta scientiarum varietate quae sub curriculo traduntur medicorum studiorum, animus fert de menstruatione disserere. Novitates proferre in tam ardua re, inanes sunt juvenes humeri mei: hinc una tantum dicere possum, quae ab Auctoribus passim tradita jam sunt. Accipe ergo, humanissime Lector, Auctoris hoc humile cognitionum specimen: plus tibi daret, si plus valeret.

Natura, quae tot et varios distinctionis characteres, tum relate ad organicam constitutionem seu varimode partium humanum corpus componentium modificatam dispositionem, cum relate ad peculiares functiones, quae majori vel minori energia explentur, virilem naturam inter ac foemineam ponebat, summum distinctionis gradum statuebat in modificatione functionis sexualis. Et quin loquar de singulis differentiis functionis hujusce in viro vel in muliere spectatae, de una tantum dicam; nempe de Menstruatione.

Menstruatio, alio nomine fluxus mensilis, catamenialis, foemineus, vel uno tantum nomine catamenia, illa est functio sequiori sexui propria, quae ad unam vitae epocham incipit, et ad quamdam aliam finem habet, non continua sed periodica, una vice in mense recurrens; quae per fluxum sanguinis e genitalibus plus minusve copiosum manifestatur. Menstruatio humanae nonnisi foeminae est propriâ, nec in ullo alio animantium genere reperienda: falsum etenim est menstruationem proprie dictam dari in quibusdam animalibus ex. gr. in simia, uti a nonnullis asserebatur naturae curiosis.

Absque dubio viderunt ipsi profluvium cruentum e genitalibus foeminae aliorum animalium:

ast, superficiales observatores ad facti corticem morati sunt; contenti se vidisse, quippe criterio et judicio orbati, causam illius cruenti profluvii haud investigarunt; cordatissimorum enim virorum observationibus habemus evictum, profluvium cruentum in simia foemina nil nisi mucum esse sanguine commixtum, qui tempore amorum a genitalibus prurientibus excernitur, peculiarem spargens odorem, mares ad coitum invitantem.

Menstruationem diximus humanae foeminae propriam, neque in viro observari: sunt tamen Physiologi, qui analogiam inter menstruationem ac fluxum haemorrhoidalem adfirmantes, sexuique virili hunc tribuentes, characterem denegant distinctionis inter naturam virilem ac foemineam a menstruatione deprompum. Juxta eorum sententiam diversitas una esset in modo et in parte, qua sanguis excernitur; in muliere, ajunt, profluvium cruentum e genitalibus fit, in viro e vasis haemorrhoidalibus. Et suae opinioni summum statuunt fundamentum, quod et fluxus haemorrhoidalis periodicus, imo mensilis interdum observatur; et quod per ejus abnormem adparitionem, vel suspensionem illa ipsa incommoda habentur, quae a suppressa vel abnormi

menstruatione enascuntur. Talem sententiam stultissimam nos judicamus; neque scimus, quo recto judicio analogia statui possit inter fluxum haemorrhoidalem et menstruationem. Plurima dicenda essent ad probandam thesim, haecce duo profluvia cruenta plane diversa esse, neque analogiam inter se admittere posse; dicam tantummodo: 1 menstruationem seu fluxum sanguinis e genitalibus nunquam observari in maribus, fluxum haemorrhoidalem e contra et in foeminis dari, etsi rarius. 2 In foeminis menstruationem functionem physiologicam seu status sani esse, quae fere in omnibus observatur; fluxum haemorrhoidalem e converso a statu vitae morbosae pendere: posse utique absque salutis discrimine fieri, per se vero semper organicum sistere vitium neque in omnibus viris dari. 3 Plane diversam sanguinis menstrui fontem esse ab illa haemorrhoidalis, quod etiam characteribus sanguinis ipsius comprobatur. Et revera sanguis haemorrhoidalis atrum praebet colorem, principiis scatet phlogisticis, minus coagulabilis est, uno verbo characteres omnes offert sanguinis venosi qui non habentur in sanguine menstruo illos offerente arteriosi, uti infra dicemus. Haec porro sanguinis diversitas

nullam aliam agnoscit causam nisi systematis sanguiferi excernentis diversitatem. Requidem vera menstruatio, quae species secretionis est, vasis arteriosis, uti videbimus, perfungi debet, systema enim arteriosum omnium secretionum fons dici meretur. Et e contra in vitio haemorrhoidali sanguis excernitur venosus qui non nisi a venis fluere potest. In sanguinis et menstrui secretione vasa capillaria solummodo in actione sunt; sanguis haemorrhoidalis a venis stillat quae naturali majorem amplitudinem habent, et quae justo titulo a nonnullis uti a praeclarissimo Tommasinio, varicosae seu varices haemorrhoidales nuncupantur.

4 Menstruatio in relatione arctiori habetur cum functionibus sexualibus et vi generandi, quod non est de vitio haemorrhoidali.

5 Nullius tandem ponderis est ad tuendam analogiam inter menstruationem et vitium haemorrhoidale, argumentum ab observatione depromptum, quod mulieres rarius quam viri haemorrhoidibus subjiciantur, et istis foeminas corripi, quibus menstruatio suppressa est. Plurimae etenim foeminae dantur, quae vitio haemorrhoidali patiuntur et fluxu menstruo adhuc salutantur. Et si interdum videmus haemorrhoidale profluvium in mulieribus non amplius

menstruatis, hoc modo pendet ex eo quod menstruatio suum cum habeat adparitionis tempus, illud etiam disparitionis agnoscit; desuper quod haemorrhoides plerumque ad provectiorem aetatem adparere solent tam in viris quam in ipsis foeminis. Potest utique interdum profluvium haemorrhoidale in relatione esse cum fluxu menstruo: ast hisce in casubus haemorrhoides vices gerunt secretionis vicariae ad instar aliarum secretionum et ipsorum profluviorum sanguinis ex ceteris partibus, uti a naribus, a mammis etc. Neque menstruatio suppressa inculpanda uti causa haemorrhoidum in foeminis adparitionis, in istis enim illae ipsae causae agere possunt, quae actionem suam dirigere valent supra viros, et quibus profluvium haemorrhoidale promovetur.

Et tali ratione fallacem probavimus nonnullis adfirmatam analogiam inter menstruationem et haemorrhoidale profluvium, quae non nisi in ignorantia atque superficiali observatione ex una parte radicatur, ex alia vero in nimio atque praeconcepto amore functiones omnes ad generales leges reducere, analogiamque ubique admittere, et illic etiam ubi summum viget discrimen.

Quid dicam porro de sententia nonnullorum

physiologorum menstrua inter et pollutiones virorum nocturnas analogiam adfirmantium? cujus falsitas clare patet, si consideremus pollutionibus semen evacuari, non vero sanguinem; semini quidquam simile, nunnullis saltem opinantibus, etiam in foemina obtingere; denique pollutiones alia lege fieri ac periodicitatis, quae menstruationem regit atque gubernat.

Menstruatio, quae uti diximus, humanae foeminae propria est, primitus adparens, efflorescentem vitam sexualem annunciat, cunctaeque vitae et physicae novum impingit characterem. Tunc tempus emergit ubi corpus foemineum universum quamdam evolutionis suae absolvit partem. Natura etenim quae per secretionem spermatis evolutionem annunciat corporis humani virilis, statuit illam corporis humani foeminei per fluxum menstruum monstrari. Quisnam enim non novit systema genitale aequo jure centrum summi momenti habendum esse tempore pubertatis, a quo per universum corpus quaedam incitatio diffunditur? Nonne pubertatis epocha extolluntur functionis organicae non tantum sed et vitae animalis? Nonne hoc tempore operationes intellectuales uti et corporeae summum perfectionis gradum attingunt? Oh pulchrum vitae tempus! Oh felix epocha, qua catamenia fluunt!

Sed hic quaestio sponte insurgit, quo aetatis tempore, quo anno menstruatio emergat? Plurima sunt momenta, quibus epocha primae menstruationis in foeminis variatur ejusdem etiam regionis, vel sub eodem clymate vitam ducentibus; dependet etenim citior aut tardior hujusce functionis introitus a temperamento puellae, ejusque vivendi ratione. Sic virgines temperamento sanguineo aut nervoso praeditae, cibis multum nutrientibus, atque potulentis spirituosis utentes, vitae otiosae, libidini sexuali, nec non eroticorum librorum lecturae faventes multo velocius menstruis salutantur, quam in contraria rerum conditione viventes. Plurima porro habentur momenta in clymatis diversitate et regionis, quibus tempus menstruationis variatur; asseri fere potest: regiones atque clymata suam agnoscere epocham, qua virgines prima menstruatione visitantur. Apud nos, caeteris paribus, adparent consuetim catamenia in puellis decimo tertio, decimo quarto vel quinto anno; quod autem citius fit sub coelo calidiori, ita ut puellae istic nono jam anno vel decimo perfecte evolutae jam menstruatae sint; dum e contra in regionibus borealibus, sub frigido caelo serius et nonnisi

anno vigesimo et etiam vigesimo quarto catameniis salutantur. Qua de re puellae serius, ociusve concipiendo pares sunt juxta regionis diversitatem, et clymatis sub quo vitam ducunt.

Diximus jam supra foeminae vitae dari epocham, qua fluxus menstruus sistitur: quaenam est ergo aetas qua typicus terminatur menstruorum fluxus? Quaenam dicenda aetas clymaterica? Et quaenam symptomata hanc aetatem denuntiant? Generatim loquentes, illa est qua vis vitalis in corpore foemineo languidior fit, qua provida Natura, energiam compescit in organis sexualibus, dum caeterae functiones jam languidae factae sunt. Haec porro epocha qua catamenia terminantur, variare debet juxta varios individuos: atque dici potest tempore esse quadragesimi vel quadragesimi usque ad quinquagesimum annum nostris in regionibus, licet casus non desint, ubi ad sexagesimum usque excurissent catamenia; vel multo citius haesissent nempe ad trigesimum vel quintum et vigesimum annum. Et summi hic valet animadversio, quae ab observationibus millenis consequitur, scilicet: eo citius disparere menses, quo maturius ipsi adparuerint, et quo vita fuerit laboriosior. Quod vero non modo simplici ratione

annorum haberi debet, sed ratione composita; id est epocham universam menstruationis differre in foeminis juxta clyma, atque regiones; ac breviorem esse sub coelo torrido, longiorem e contra in regionibus frigidis. Tempore hocce variis stipato phoenomenis, uti artuum delassatione, doloribus lumborum, calore fugaci faciei, aliisque symptomatibus quae a congestione pendent in diversis organis enata, mulier concipiendi facultatis fit expers, naturam virilem acquirit. Mutatur praeterea ipsius vocis suavitas, turgor colorque cutis, amaenus antea, disparet et turpissimus fit; pudendorum labia corrugantur, flacescunt, uterus de sua prima magnitudine amittit, minuuntur et ovaria, totusque organismus muliebris revolutionem patitur in hac vitae infelici ac tristi epocha. Oh quam ab illa differens in qua mulier menstruationem ingressa!

Catamenia singulo mense periodice recurrunt ad annos usque climatericos; plurimae contingunt causae quae eorum adparitionem vel reditum retardant aut suspendunt: aliae pathologicae, aliae vero physiologicae, uti gestatio puerperii et lactationis intervallum. Explicare conati sunt nonnulli physiologi caussam atque rationes, quibus menses singulo mense perio-

dice redeant, quod vero ipsi affirmarunt, negarunt iterum quamplurimi. Ea mittimus quae in utraque parte dicta sunt, id modo adducemus, quod foeminae, quae vitae genere a normali statu non multum abludunt, novilunii tempore plerumque menstruis visitentur. Differentia tamen nullo modo explicanda quoad aetatem locum habere videtur, uti hoc antiquus exprimit versiculus ».

Luna vetus vetulas, juvenes nova luna repurgat ».

Phaenomena nunc dicenda veniunt quae menstruationem ingressuram designant, et quae eam comitantur. Phoenomena quae fluxui menstruo praecedunt, et quae licet vario vehementiae gradu, omnem puellam plectunt, et reiterata menstruatione pedetentim cessant, molimina menstrua dicuntur. Mammis partibusque genitalibus turgentibus atque calentibus, invadunt virginem dolores plus minusve scindentes regioni lumbali ad inguinalem usque sese protendentes, cum crurum stupore ac myrmecysmo. Hisce primis adjungitur in hypogastrio sensatio oppletionis, atque ac si aquae calidae guttula e lumbali regione in pelvim decideret; venter tumescit, et uterus, majore sanguinis copia repletur, inferius descendit, ut digito, per vaginam immisso tangi possit. Topica haec

sunt phoenomena quae totius vasorum systematis exagitatione stipantur, cephalea gravativa, vertigine, sensuum hallucinationibus, artuumque languore. Erumpit in quibusdam exanthema peculiare, pustulosum, et puellae inclinant ad sonnambulismum.

Hisce omnibus praegressis moliminibus, quae, nisi justo majorem assecuta fuerint gradum, morbum non constituunt, incipit fluxus menstruus.

Videamus nunc clarius ejus decursum et symptomata quibus stipatur. Prima die guttulae mucosae solummodo e genitalibus fluunt; altera die muco miscetur sanguis; tertia tum die, quae acme dici potest menstruationis, fluxus sanguinis est merus spissus, qui quarta iterum lympha miscetur, quinta mucosus evadens, sexta plane cessat. Fluxu aliquo tempore durante, praecipue autem in ejus fine puella caerulescente circa oculos notatur annulo, pallescit facie, vox rauca fit, excreta cutanea proprium spargunt, dulcescentem odorem, qui et aëri expirato comunicatur.

Duratio singulae periodi catamenialis in eodem individuo fere una et eadem semper observatur, paucis exceptis. Quinque diebus plerumque menstruatio absolvitur, licet interdum

a tertia aberrare ad octavam usque posset diem. Observatum est initio fluxum quidem irregulariter intrasse; post aliquot vero insultus certum adquirit typum qui, nisi morbificae causae agant, idem semper est, et quavis vigesimo tertio die definitus retinetur, excepto tamen, uti supra diximus, graviditatis, puerperii et lactationis epocha.

Quoad copiam sanguinis quovis periodo excreti, et hic asseri potest, differre juxta varios individuos, in singula vero persona vix differre. Ast copia sanguinis quae tempore menstruationis excernitur, accurate minime determinari potest ob summam in colligendo sanguine difficultatem, vel impossibilitatem. Auctorum calculi plane diversi sunt, quae differentia praeter hucusque expositas, causam agnoscit in diversitate regionis et clymatis. Hippocrates et Galenus sanguinis menstrui copiam ad octodecim usque uncias aestimabant, quae vero copia nimia est pro frigido et temperato etiam clymate, istic enim consuetim ad octo vel decem ad summum restringitur uncias. Plus interim habemus foeminis excerni zona torrida degentibus et apud nos urbes majores incolentibus, bene pastis, vitamque duçentibus sedentariam. Differt insuper quan-

titas sanguinis singulis ejusdem periodi diebus; minori copia enim effunditur prima die, copiosior e contra sequentibus diebus et ultimis item minor, usquedum, ad finem menstruatione vergente, profluvium serosum induit indolem.

Nonnulla etiam dicenda sunt de natura sanguinis excreti. Sanguis menstruatione evacuatus, quoad colorem, arterioso quam simillimus est; ab eo tamen differt, quod fibrinae in se minorem dosim contineat, plus vero cruoris et materiae serosae. Hisce proprietatibus sanguinem menstruum videmus coagulationis imparem, aegreque in putredinem abientem. Odore omni est destitutus, quidquid dixerint veteres; nisi muco inquinatus, aut longiori in cavis internis retentione corruptus fuerit; inepte ei autem veteribus auctoribus et nostris temporibus adhuc a profanis indoles venenata tribuitur.

De fonte sanguinis menstrui sermo nunc habendus est. Sanguis catamenialis an excernatur vasis uterinis vel vaginae questio inter physiologos agitata fuit. Ast fere omnes in praesentiarum concordes sunt, sanguinem catamenialem interna uteri superficie excerni, quod assertum extra aleam dubitationis positum est observationibus tum in foeminis cum prolapsu

uteri, tum foeminarum sectione, durante fluxu menstruo peremptarum instituta. Visus est in primis sanguis tempore menstruationis ex uteri orificio manans; in aliis interna uteri superficies sanguine obducta animadvertebatur, simulque ad externam pressionem sanguis e poris uteri hic loci majoribus et copiosioribus abunde stillans. Ipsis tamen observationibus, quibus compertum est, sanguinem menstruum a vasis uterinis secerni, habemus a vasis vaginae quemdam humorem secerni, qui cum sanguine miscetur ab utero fluente, et est lympha, de qua diximus: ast non modo mucus vel lympha visa est excerni a vagina, guttulae aliam aliquot sanguinis interdum manare possunt.

Sed hic quaestio insurgit difficulter solvenda, utrum venae an arteriae ad secernendum sanguinem menstruum conferant. Inter se non consentiunt auctores, ac semper disputarunt quoad statuenda vasa, quibus menstruatio fungitur. Si nos vero sanguinis menstrui qualitates ad mentem recordamus, quas supra jam exposuimus, verosimillimum esse videtur, eum ab arteriis membranae mucosae uteri secerni. Verissimum est qualitatem sanguinis menstrui differre a reliquo sanguine arterioso, illam tamen

non praebet venosi: Ast peculiares nobis offert characteres quibus sufficienter probatum habemus menstruationem functionem secretionis esse, sanguinem menstruum secerni more aliarum secretionum; quae omnes vasis arteriosis fiunt. Et nonne profluvium menstruum penitus more aliarum secretionum per vicariam secretionem cruentam, in alio organo provocatam, suppleri potest? Et sanguis vicarius simillimus est a vasis uterinis stillanti, sui generis, ab illo arterioso atque venoso diversus.

Remanet nunc ut nonnulla dicamus de causis fluxus menstrui, hincque de ejus effectubus.

Ad catameniorum causas explicandas plurimae atque variae physiologis atque naturae scrutatoribus per temporum seriem ventilatae sunt hypotheses. Reliquas omnes mittimus minus valentes, illamque solum lustremus Aristotelis opinionem, maxime Galeni temporibus celebratam, secundum quam universalis plethora in corpore foemineo vigens pro unica sufficienteque assumebatur fluxus menstrui ratione. Dicebant hujusce opinionis asseclae organismum foemineum viris majorem producere sanguinis copiam, novo individuo generando alendoque deserviturum, cujus vero pars superflua, si mediante conceptione in hunc finem

non converteretur, ob peculiarem dispositionem, uterique texturam, e corpore eliminanda veniat sub forma fluxus menstrui. Ad quam hypothesim suffulciendam observationes in medium adductae sunt, quod quaelibet momenta, quae majorem sanguinis copiam nec non majorem evolutionem promovere valent, uti essent victus lautus ac eupeptus, vita parum laboriosa vel sedentaria, aër siccus, purus, calorico atque electricis principiis dives fluxum quoque catamenialem copiosiorem reddant, haud secus ac illa omnia, quibus sanguinis universalis circuitus intenditur, uti nimius usus potus ex coffaea arabica, vel spirituosorum et aromaticorum etc. Et e contra quaecumque sanguinis altiorem perfectionem cohibere valent, circuitum retardare, uti sunt animi pathemata tristia, nutrimenta parca pravaque, nimius labor, arduus ac diu protractus, mensium quoque imminuunt profluvium — Hae omnes observationes minime inficiari possunt, probae etenim sunt: negamus vero eas posse conclusionis inde factae veritatem evincere. Dantur puellae pallidae, emaciatae, minime plethoricae, quae nihilosecius menstruo salutantur fluxu, eoque haudunquam largiori quam ipse plethoricae.

Et quomodo plethora in toto et universo corpore vigens causam sistere potest fluxus menstrui, si habemus centenis atque millenis observationibus per venaesectionem in pede institutam, quae plethoram tollit, fluxum menstruum provocari? Et curnam, et in viris obveniente plethora, fluxu menstruo ipsi non salutantur, qui solum corpori foemineo est proprius? Supra jamque vidimus analogiam haud adesse, quam voluerunt nonnulli inter menstruationem et fluxum haemorrhoidalem: desuper illa opinione quomodo explicare possumus, curnam sanguinis fluxus in ipsa foemina nonnisi in utero appareat? Scimus utique nonnullos hoc explicasse peculiari et sui generis uteri textura, quae in foeminis aliorum animalium non observatur. Re quidem vera uteri parenchima crassius in muliere quam in aliis foeminis est, textu efformatur celluloso denso atque stipato, qui utero ipsi expansibilitatem tribuit, quam ad altiorem gradum evectam observamus tempore gestationis. Lacunam explere credunt nonnulli ex numero majoribus atque volumine arteriis uteri quam caeterarum partium; ex systemate venoso multo ampliori arterioso, hincque ex summa atque mirabili venas inter ac arterias uterinas ana-

stomosi, decursum serpentinum etiam servantes, ac nulla in venis valvularum praesentia. Ad quaestionem solvendam recurrunt alii ad summum, quo tenetur, consensum uterus cum caeteris et remotioribus organismi partibus tempore pubertatis; quo tempore uterus non non modo vita fruitur vegetativa, sed ad altiorem vitam extollitur; processus vitalis in ipso vividior fit, centrum, ut ita dicam, organicae sensibilitatis fit, ac consequenter adaugetur ipsius vita irritabilis, vasa sanguinea sanguine nimiopere replentur, qui postea excernitur. Assumptio insuper illorum, qui ex situ foeminae humanae erecto affluxum sanguinis uterum versus derivarunt, hincque ipsius ex utero ipso profluvium tempore menstruationis, omni quidem fundamento non est destituta; minime tamen sufficientem credimus phoenomeno, de quo loquimur, dilucidando. Hae enim, uti ceterae, de quibus diximus, explicationes, curnam plethora in toto corpore vigente sanguis potius ab utero, quam ab aliis partibus excernatur, inconsiderate prolatae fuere; plus enim valerent, ad nostram sententiam, quaestionem solvere, dummodo admittamus plethoram tempore catameniorum non generalem sed localem utero, evigilante

nisu sexuali, provocatam, cujus insigne in menstruatione sollicitanda momentum ex eo patet, quod causae uteri activitatem exaltantes, catamenialem quoque fluxum uberiorem reddere valeant: exempla sint calor justo major genitalibus applicatus, haud secus ac veneris usus, quo stimulo organorum sexualium peculiari atque proprio profluvium quoque menstruale intenditur. Quam ob rem foeminis scimus, corpore suo impudice utentibus, luxuriantem e consueto esse menstruationem. Ast finis naturae in menstruatione statuenda semper nobis latebit. Lustratis, quousque licebat, fluxus menstrui causis, nobis restat adhuc ejus effectus examinare. Distinguuntur hi in proximos et remotos. Proximi menstruationis effectus dicuntur qui supra vitam foeminae sexualem determinantur: Remoti illi habendi sunt qui vitam universam, imprimis vero systema vasorum spectant. Quoad proximos, diligentiori observatione, habemus menstruationem graviditatis vices gerere, ejus ope sanguinis superfluam quantitatem, foeto evolvendo nutriendoque destinatam, eliminari, in systemate sexuali facultatem generatricem exercere, ut diutius perseverari possit; praeterea uteri receptivitatem erga stimulos sexuales extollere, quare foeminae post menstrua-

tionem facilius concipiunt, quam antea. Menstruatio dici fere potest naturae nisus, quo mulier ad coitum et generationem invitatur. Menstruatione tandem moralis foeminae tuetur libertas, et praecavetur, ne sexualis nisus in humilem et turpem degeneret instinctum animalem.

Remotos nunc catameniorum effectus sciscitantes, illos nempe qui menstruatione in universo organismo provocantur, asseri absque erroris metu potest: Hanc functionem boni sanguinis formationi multum contribuere, talique pacto uterum secundarium utique, ast verum organon haematopoëticum considerandum atque habendum esse. Re quidem vera menstruatione universum corpus concutitur, organa, textus omnes et systemata ad altiorem vitae gradum extolluntur. Cujus veritatis certiores facti sumus si puellam animadvertimus jam ad puberem aetatem perventam et quae tamen menstruis adhuc non visitatur, vel si jam menstruatae catamenia fluere cesserunt. In femella amenorrhoica totum languescit systema vasorum, sanguis progeneratur sero plus justo dives, atque mucosus; cachectica illa fit, chlorosi, phthisi, tabe, hydrope laborare incipit; vel neurosibus, uti hysteriasi, spasmis

varii generis aggreditur: Animo languidior fit, tristis, melancholica. Cum vero catamenialis fluxus adparuerit, status illius pervertitur, sanguis iterum floridus ac laete ruber adparet, functiones omnes energiam adquirunt; et cum corpore mens quoque sana fit. Concludamus igitur menstruationem talem et tantum influxum in sexus sequioris vitam dirigere, ut justo titulo eam declarare possimus: *signum et praesidium sanitatis, indiciumque vigentis generandi facultatis.* Si menstruatio turbatur aut interrumpitur salus universi corporis pariter alteratur, quae, uti diximus, non amplius redit, nisi catamenia e tramite normali abludere cessarint.

F I N I S.

THESES DEFENDENDAE.

1. Profluvia hyposthenica seu passiva per secretionem haud fieri.

2. Motum corporis convalescentibus medicinam.

3. Paracentesim thoracicam factis atque pathologicis rationibus inniti.

4. Remedia secreta et specifica nocumenti scientiae et arti medicae.

5. Doctrinam diathesicam male dijudicatam.

6. Ipsamque ad curandos morbos male a nonnullis in usum vocatam fuisse.